



**Antonii Milliei, Lvgdvnensis, E Societate Iesv, Moyses
Viator**

Millieu, Antoine

Lugduni, 1636

Æqvo Et Benevolo Lectori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69066](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-69066)



ÆQVO ET BENEVOLO
Lectori.

TALEM te huic Poëmati futurum, præter animi tui
æquitatem, duo me iubent sperare, Argumenti sancti-
tas, & Consilij mei in scribendo, edendoque necessi-
tas. Dignitas argumenti eiusmodi est, ut iniquum habere nem-
inem possit, nisi qui sibi sit ipsi parum æquus. Effigiem habet ex-
pressam summæ in Synagogam Prouidentiae cogentis in liber-
tatem filiorum Dei captiuum extrema seruitute sub impio
Tyranno populum: designantis & munitis fortunatas in
sedes viam incredibili rerum mirabilium successu; verbo uno,
spirantem imaginem peregrinantis Ecclesiam: *Omnia enim in*
figura contingebant illis: documenta infinita nostra mirâ conser-
fatione umbrarum cum corpore & luce ipsâ veritatis. Nimis
iam multa de argomento tam trito, iactatique. At, inquis,
non satis explorasti tuos humeros, quid recusent ferre, quid
valeant. Temeritas hic fortasse mea sit nonnulla: agnosco, fa-
teor culpam; &, si Deus volet, breui mors obruet, & vlcisce-
tur oneri succumbentem: sed interea sic habeto, partem hanc
vnam esse necessitatis, & consilij, vt dixi, coacti: de quo pau-
ca sic accipe. Anno sexagesimo, & iam præcipitantis ætatis
adduci nondum potueram ullis amicorum iudiciis, aut con-
siliis, nullis meorum Præsidum cohortationibus, ac tantum
non imperiis, vt eorum quidquam emitterem, quæ florente
ætate scripseram in scholâ Rheticæ, & humanioribus lite-
ris iuuentuti tradendis; & habebam sanè multa versuum mil-
lia varij generis, & argumenti, quæ cùm duos ante annos, id
est, ætatis sexagesimo ineunte, in grauissimum morbum inci-
dissem, iacerémque depositus, ac planè desperatus à Medicis,
& à nostris, ne me extincto, postuma venirent in lucem,
oraui eum, qui morituro aderat, ut ea omnia simul, sicut

† s erant,

erant, in vnum coniecta fascem abiiceret in eum locum, vnde
extrahi nunquam possent. Paruit ille è vestigio; & viginti mi-
nimùm versuum millia præter aliquot orationes altissimâ vo-
ragine mersit benè merentia. Ita, cùm reualuissem, non pa-
rum molesto limæ labore leuatum simul me sensi, & gratula-
tus sum Musis, & sacro Apollini: sed nostrorum precibus
importunis aliquando tandem victus, cùm illa mihi varia
scholarum progymnasmata non placerent, adieceram ad Mo-
sis expeditionem animum, & librum huius Poëmatis primum
vnicum scripseram, qui fortè non fuit in illo damnato fasce
carminum. Cùm igitur conualuissem, & illum solum à nau-
fragio reliquum haberem; nulla de re minùs id ætatis, quā
de scribendis versibus cogitabam. Redière sociorum conuicia,
minæ de effodiendis sepultorum Poëmatum reliquiis, & Supe-
riorum hortamenta, quamvis satis omnibus constaret, omnia
tempus habere; mihi verò nunc esse horam discessus ador-
nandi. Victus denique superiore anno, metu quodam, ne
me mortuo vetera illa perquirerent, quæ pluribus, aiebant,
exemplis emanarant, renouaui cogitationes ad hoc Viatoris
Moysis iter pium, magnum, spissum, laboriosum, ex quo
possem mihi non pauca sumere incitamenta ad vrgendam
seriò viam in cœlum. Dedi igitur quindecim proximè supe-
riores menses scribendis duodecim libris, qui ad vnicum il-
lum primum, qui exitium euaserat, accesserunt. Vides igi-
tur, Lector beneuole, consilij mei necessitatē; cui veniam
debes omnium, quæ & coacto, & festinanti exciderint; quæ
quidem non sint contra fidem, & bonos mores: nam illa om-
nia, si qua essent, eorum censuræ & arbitriis, quorum oportet
subdita sunt. Sed ista minutula alia, grammatica, poëti-
ca, &c. quæ ad istam Crisim & syllabarum forum pertinent,
ita ex æquo, & bono expendas, vt illud amanter memineris:

Emendaturus, si licuisset, erat.

At, cur non premis in nonum annum, positis intus chartis?
Premam sanè, & pressissimem, situ illum mihi nonum annum
spondere potuisses, si vel vnicum dare, si vel perendinum
promittere. Ages igitur mecum beneuolè, ferésque sine su-
percilio licentjam interdum quandam in vocabulis Hebræis, &
peregrinis

peregrinis inflectendis , & accommodandis ad versum , quæ
Rabbini parum curant , quibus numeris metiantur Poëtæ . Ha-
bes hac priore parte itineris comprehensam totam Exodi hi-
storiæ ad caput 10. Leuitici . Cætera , si faues incepto itineri ,
& Viatori Mosi , & Deus volet in hunc mihi laborem aliquot
vitæ , viæque annos prorogare , ad Iordanis ripas Mosem hunc
deducemus , si ille me quoque Poëtarum morbus inuadat :

----- *Nolunt cantare rogati*

Iniussi nunquam desistunt.

Mihi certè , sic habeto verissimè , nunquam , nisi inuito Apol-
line , aut Mineruâ , carmen ullum excidit . Omnia sunt vix qua-
dam , & animi inductione exprimenda . Ne singas delectari
me cantu tam laborioso , & ignoscas chordis non semper red-
dentibus sonum , quem poscuntur . Vale , & lege , si placet ,
pag. 413 . v. 22 . Sic velit , & faciat Deus , ut . & p. 467 . v. 13 . l. Patrum .

FACULTAS